

*Pontifice* regnante emicasse fidem mihi (*inquit Myzaldus Lib. II.*) fecerunt libri aliquot.

§. XII. Sanè negari quidem non potest, Cometas dissimilibus planè fuisse coloribus; atque exinde quoadtenus *ratione coloris* eos distingvi posse. Verùm magis convenienter & accuratè, *secundum faciem formamque tam capitis, quam caudæ discernuntur*. Genera enim Cometarum quamplurima occurrunt; at colorum septem tantummodo Species respectu Planetarum dantur.

§. XIII. Si igitur juxta diversas facies considerentur, nullus non obviam venit, qui non exactè eâ ratione definiatur.

§. XIV. Omnes autem in duas, si rem brevibus complectamur, referuntur classes: nimirum in *Crinitos seu Comatos*, & *πρωγωνίας*, hoc est, *Barbatos sive Caudatos*. Illi circumquaque crines diffundunt, unde Criniti etiam dicti sunt; hi verò Comam sive secundum latitudinem, sive longitudinem exporrigunt.

§. XV. Quamquam alii *Barbatos à Caudatis* distingvunt: Sed minus rectè. Nam inter utrosque nulla intercedit differentia: nisi quod alio tempore Syria sursum, alio deorsum extendant. *Quando itaque deorsum Crines exhibent, possunt Barbati appellari; quando verò sursum caudas attollunt, sive à tergo trabunt, possunt quodammodo Caudati nominari*. Veruntamen cum hæc distinctio non sit realis, omninò rejicienda est.

§. XVI. Sub duobus igitur modò dictis generibus comprehenduntur variæ Cometarum species, numero fere duodecim; quarum nonnullæ iterum subdistingvendæ sunt, ut mox patebit.

§. XVII. *Ad Comatorum sive Crinitorum classem spectant* *δίσκοος, πηλῆης, ἰππεύς, δρυροκόμης & Hircus*. In *Caudatorum ordinem* referuntur *λαμπαδίας*, (qui à nonnullis, Barbatis annumeratur) *περατίας, ἀκοντίας, ξιφίας, λογχίτης*, Veru seu Pertica & *τετραγωνία*.

§. XVIII. Verùm quo diversissimi hi Cometae omnibus & singulis eò accuratiùs innotescant, statuimus eos paulò prolixius quoad figuram faciemque, non neglectis coloribus describere; simul etiam eorum subalternas species, si quæ dantur, hic annectere.

§. XIX. 1. *Disceus* est Cometa disciformis, qui aut omninò rotundus, aut propemodum rotundam æmulatur figuram. Inter quos

B

au-